

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput III. Qualiter virtutes in coronis domini lucent.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT III.

QUALITER VIRTUTES IN CORONA DOMINI LUCENT.

ITEM visus est ei Dominus in Missa quadam, dum cantaretur Offertorium. *Domine Jesu Christe Rex gloriæ* ¹, quasi staret a dextris altaris coronatus et regio cultu amictus. Et illa admirata est, scire cupiens quid designarent columbæ et aquilæ, et lapides pretiosi qui erant in corona Domini. Ad quam Dominus : « Omnium humilitas, omnium fides, omnium patientia, omnium spes lucet more gemmarum in mea corona. Per columbas vero et aquilas supereminentes coronæ, significantur simplices et amantes. »

Inter Secretum vero vidit quasi aureum gradum pertingentem ad altare, super quem ascendens Dominus stetit in altari, habens ante mantellum suum quasi longissimum tabellum usque ad genua ; quod illa admirata, dictum est ei hoc designare quod omnes crines hominum, bestiarum et herbarum fulgerent per humanitatem Christi in sancta Trinitate ; eo quod Filius Dei humanitatem assumpsit de terra de qua provenissent. Omnium vero hominum animæ lucebant in illo mantello mirabili valde ornato. Dominus autem stans in altari, mantello suo textit sacerdotem ; et hostia a sacerdote consecrata, assumpta in Corde Domini, mutata est in ipsum. Tunc procidit illa ad pedes, et osculata est vulnera ejus ; ad quam se Dominus amanter inclinans dicebat : « Desideria mea inclinata sunt vobis, et omnia quæ cinme sunt bona. »

Humanitas
Christi
omnem
continet
creaturam.

1. In Missa pro defunctis.